



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

2. De voce Missalis & Missæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

2. De voce Missalis & Missa.

Missalis saltem in tantum autor est S. Greg, Papa, quod & vocabuli autor sit, & Missale in meliorem formam redegerit. Cæterum S. Clemens, sicut à S. Petro accepit Missam [quibusdam exceptis postea additis vel mutatis] ita Romanæ Ecclesiæ in scripto consignasse dicitur. Vocabatur autem *Missale* olim *Sacramentale*. A S. Hieron. *Liber mysteriorum*. A Conc. Rhem. *Liber Sacramentorum*. Porro Missale à Missa dicitur, quæ vox latina antiquissima à vulgò videtur introducta. Teste Baron. à Jacobo Apostolo usurpata est vox hebræa *Missah*, id est *spontanea oblatio*. Hinc fors etiam in tantum ab Hebræis originem aliquam habet. Græci *Missam* vocant *Liturgiam*, hoc est, *publicum opus*, vel *energiam sacrum opus*, vel *mystagogiam summum ministerium*, vel *Phosphoron oblationem*, vel *Thysian Sacrificium*, vel *Teletin mysterium*. Si hebræa vox *Missah* non dedit occasionem latinis vocis *Missa*. Latinè vox ea significabit missionem precum populi per Sacerdotem ad Deum, vel etiam Christi à Patre æterno ad nos missi, & ejusdem in Missa oblatis & quasi remissi à nobis ad Deum Patrem tanquam Mediatoris Deum inter & homines. Quia autem Missæ intersumus tanquam fontes alicui judicio, Canon Missæ *actio* dicitur, id est causa in judicium adducta à Sacerdote tanquam Advocato & Vicario Christi. Et sicut peracto judicio dimittuntur rei absoluti, ita & Sacerdos di-

dimittit populum dicendo : *Ite, Missa est*, vel *judicium est peractum*, & vos si dignè adstiteritis, absoluti. Et hinc subjungit : *Benedicatur vos &c.* Primam Missam celebrâsse putatur S. Petrus in die Pentecostes ; quia eo die Hebræi juxta Cap. 16. Deuteron. offerebant oblationem spontaneam *Missab.*, quæ erat tritici. Eandem ergò Petrus obtulit in pane azymo in cœnaculo Sion. V. Gav. Tit. 1. de Rubr. Gen.

3. *Partes Missæ.*

Si theologicè velimus loqui juxta communio-
rem *actio sacrificativa*, sive *essentia Sacrificii*
Missæ est sola consecratio, quia hæc sola est actio
Christi, quam etiam ideo profert Sacerdos in
persona Christi dicentis : *Hoc est Corpus meum,*
&c. & in illa sola salvatur : quidquid ad sacri-
ficationem requiritur. Et ideo etiam die Ve-
neris Sancto propriè non offertur Sacrificium.
Rationem dat S. Thom. quia cùm eo die Chri-
stus ipse realiter & visibiliter obtulerit Crucis
Sacrificium ; non congruebat eo die fieri ejus
imaginem per Ministros. Maximè cùm tem-
pus ipsum ejus recordationem satis ingereret.
Aliam congruentiam addit Suar. ne Christus in-
ducatur vivens & loquens illo die, quo pri-
mùm mortuus recolitur. Quando autem cele-
brans die Veneris Sancto dicit : *Sic fiat Sacrifi-
cium nostrum in conspectu tuo hodie.* *to Sacrifi-
cium sumitur pro re significata*, quæ est Christus
tunc sumendus. *Pars substantialis* Missæ est
sumptio. *Partes principales sunt Canon*, qui in-
cipit